

Band X., Nr. 4456, Seite 194-195

Hartmann genannt Bruche von Helfenberg stiftet eine Kaplaneipfründe in der Kirche zu Affaltrach.

Ohne Ortsangabe, 1293. Dezember 21.

In nomine domini. Amen. Ego Hartmannus dictus Bruche de Helfenberg recognosco publice et in his scriptis constare cupio universis, quod de consensu et bona voluntate Adelheidis filie mee dedi tradidi et donavi et in his scriptis do trado et dono animo non revocandi in dotem altaris beate virginis et beate Katharine in parrochiali ecclesia in Affaltrach constitui bona mea subscripta, videlicet curiam sitam iuxta cimiterium in villa Affaltrach cum suis agris pratis et pascuis et torcular in eadem curia cum pertinentiis suis quibuscumque, item redditus triginta et sex solidorum Hallensium dandos de quibusdam domibus areis et hortis sitis ibidem et redditus omnium pullorum dandos de quibusdam agris sitis in marchia ibidem, quos dinoscor hactenus habuisse, item iuger et dimidium vineti siti in monte super villam in duobus lectis et unum iuger vineti siti in Maysenberg¹, item partem meam omnium decimarum in villa et marchia Affaltrach et Eschenowe – sub condicionibus infrascriptis, scilicet ut viri religiosi et in Christo devoti commendator et fratres sacre domus hospitalis in Hallis ordinis sancti Johannis Jerosolimitani habeant teneant et pleno rerum dominio perpetuo possideant ipsa bona et de fructibus eorundem bonorum habeant et teneant perpetuo unum sacerdotem in ipsa parrochiali ecclesia in Affaltrach, qui ad predictum altare quasi quotidie missam celebret, dummodo ei causa legitima non obsistat, salvo plebano qui hucusque in eadem parrochiali extitit et antea^a esse debet, ita quod duorum sacerdotum numerus ibi nullatenus minuat. Si autem processu temporis propter carentiam sacerdotis divinatorum officia per quindenam ad predictum altare negligenter fuerint pretermissa et proinde per abbatissam et conventum in Clara Stella ordinis Cysterciensium ac etiam per universitatem ipsius parrochie in Affaltrach memorati fratres requisiti fuerint publice coram plebe et deinde infra aliam quindenam proxime subsequentem sacerdotem ad ipsa divinatorum officia ut dicitur exequenda non duxerint resumendum, extunc predicta bona omnia et singula ad prefatum claustrum libere devolventur, ita ut abbatissa et conventus predicti claustrum teneant perpetuo unum sacerdotem,

^aDas Wort *inantea* im Sinn von *postea* gebraucht.

¹Flur bei Affaltrach.

II

qui in suo monasterio officia exequatur. Et ut hec predicta omnia et singula firma et illibata perpetuo permaneant, has presentes literas honorabilium virorum domini Syfridi in Kamberg et domini Mylen in Murrhardt abbatum sigillis et meo proprio sigillo tradidi roboratas. Nos quoque miseratione divina Syfridus abbas in Kamberg et Mylo abbas in Murrhardt ad instantem petitionem supradicti Hartmanni Bruchen nec non in evidens testimonium omnium premissorum sigilla nostra presentibus duximus apponenda.

 Actum et datum anno domini MCC nonagesimo tertio, XII. kalendas Januarii.

—

Nach dem Kopialbuch der Johanniterkommende Hall-Affaltrach von 1685, Bl. 120, Nr. 140.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

H 14 Nr. 155, Bl. 120, Nr. 140. Nr. 156, S. 33, Nr. 12. Nr. 173, Bl. 59
oben und (durch Brand undeutlich) Nr. 173, Bl. 31 unten

Überlieferung und Textkritik:

Abschriften in Kopialbüchern.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Affaltrach Wohnplatz (2302)
 Affaltrach, Obersulm, HN
 Com-
burg Wohnplatz (3320)
 Comburg, Schwäbisch Hall, SHA
 Eschenau Wohnplatz (2305)
 Eschenau, Obersulm, HN
 Hel-
fenberg Wohnplatz (1991)
 Helfenberg, Ilsfeld, HN
 Lichtens-
tern Wohnplatz (2063)
 Lichtenstern, Löwenstein, HN
 Murr-
hardt Wohnplatz (1475)
 Murrhardt, WN